

taliaq; symptomata producant, causa est. Unde non ineptè asserere videtur *Remb. Dodon. obs. med. c. 10. in Schol.* melancholiam in initio semper aliquid maniacum habere; quod forsan desumpsit ex *Aretæo l. 3. c. 5.* PRO TEMPERAMENTO quoq; ratione ac varietate, in quod incidit hic affectus, symptomata ejus differunt: non aliter ac in ebriis videmus; qui non similia semper agunt, vel æquales ostendunt mores: sed prout vinum nimium à sanguineo, melancholico, bilioso, phlegmatico, assumitur; nunc sunt læti, tristes, garruli, taciturni, ad rixas & jurgia proni, lachrimantur & plura alia agunt. Nec omninò nihil VITÆ GENUS, quo quis utitur, ac conditio hic conferunt, ut hominem ad hoc vel illud peragandum disponant. Quod idem & COGITATIONES, quibus quis alioquin indulget semper, efficere possunt. Quæ omnia tamen propterea formalitatem humoris melancholici non tollunt; sed accidentaria tantum sunt, & extrinsecus, & ab admistione aliorum humorum proveniunt. CHYMICI affectum hunc inter eos referunt, quos ex suis principiis è tartaro natos statuunt. Quid verò per tartarum intelligant, cum non inter omnes unanimi consensu conveniat: eam sententiam, quam *Clar. Senn. l. 3. med. pr. p. 5. S. 1. c. 3. & de conf. & diff. chymic. c. 16.* proponit, tanquam veritati congruam, ac rationi magis convenientem, meritò amplectimur, cum eoq; dicimus. Tartarum generari, cum in humorem mucilaginosum & viscosum spiritus salis incidit, eumq; coagulat. Estq; ita tartarum mucilaginosum excrementum cibi & potus à spiritu salis coagulatum.

APHOR. X.

Causæ remotæ ac irritantes, sunt omnia ea; quæ apparatus causæ antecedentis augere, fovere ac movere; utq; actu affectum producat, facere possunt; eaq; tum extra corpori adveniunt, tum intra illud consistunt. Præcipuè autem ex rerum non naturalium numero sumuntur; quibus tamen & temperamentum naturale, ac nativæ viscerum, aliaq;